

neatur. Gail. l. 1. *Observ.* 2. num. 3. § 8. p. 97. § 98. Petr. Premus *de Securit. promiss. quest.* 1. fol. 17. Si enim ista securitas in genere haberi non posset, nec tutus foret testis in ferendo testimonio: nec reus accusatus in probanda defensione, cujus gratia tamen & testes ad iudicium evocantur, & Advocati reis constituuntur. Zanger. l. 2. c. 5. num. 5. p. 158. *de Exception.* ad probandam illorum innocentiam Justitia non posset rectè administrari; quilibet enim tale iudicium metueret, & isti quibuscunque modis se subduceret. Ratio autem, quare testi non debeat concedi salvus conductus, hæc est, quia in iudicio nemini metuenda est injuria aut vis publica, cum Jdex juramento obstrictus pro se habeat hanc præsumptionem, quòd nemini velit facere injuriam. Verùm non malè aliam rationem affert Mantzius *ad h. art. num.* 12. p. 310. quòd scilicet in nullius iudicis, sed solius Principis potestate & arbitrio positum sit, quoad indulgentiam & impunitatem criminis, vel etiam testium contumaciam atque improbitatem, quando nolunt dicere testimonium, vel veritatem non fateri, securitatem dare nocenti, vel etiam refractarios testes dimittere impunes. Contra hoc itaque salvus conductus concedendus non est.

(2) *Exceptio*, quod nimirum testibus contra vim publicam salvus conductus concedi queat, imò debeat, ut si ad locum non tutum accedere jubeantur. *Dupliciter* autem dici potest *Locus Non tutus*. Et quidem (a) *Ratione iudicii*, ut cum quis in loco iudicii habet multos inimicos capitales: vel etiam pertimescit periculum, aut quandam injuriam, quæ ipsi vel à iudice, vel alio inferri possit, v. gr. incarcerationem, torturam, aut simile quippiam. Zanger. l. 2. c. 6. num. 5. pag. 159. *de Except.* (b) *Ratione locorum*, per quæ ipsi transeundem sit, ut si loca fuerint hostium copiis obsessa, vel alio quodam periculo reddantur minus secura. *Priore modo*, cum res spectet ad veritatem indagandam, & iudicium criminale debito modo exercendum, salvus conductus contra vim injustam petenti omninò concedi potest; præstita tamen ab ipso prius cautione de se sistendo; quamvis hæc præstatio salvi conductus iudici adhuc liberam relinquat manus, ut nihilominus per viam justitiæ possit procedere. Uno verbò: salvus conductus concedi potest contra violentiam facti, non verò contra violentiam juris. Qui enim de jure procedit, alteri non facit injuriam. Inde dicitur in literis securitatis, wir geben euch eiu sicher Geleit zu Recht / für unrechte Gewalt. Alber, Gentilis l. 2. c. 14. p. 316. *de Jure bell.* Vide Zanger, *part.* 2. c. 5. num. 10.